

Petrus de Vinea

*Ep. II 39 (Circa uos nostrae
mansuetudinis zelum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 39 (Circa uos nostrae
mansuetudinis zelum...)*

1238

Iustituario et hominibus Terrae Laboris de exercitu suo et exigenda collecta.

1. Circa uos nostrae mansuetudinis zelum, et circa nos uestrae deuotionis ardorem credidimus apertius loqui quam scribere, et uidere libentius cupimus quam audire. 2. Exuberante uerumptamen utilitate propositum et consilio uoluntatem, uiolentiam in hac parte nobis ipsis indiximus, qui cogi per alios merito dedignamur. 3. Dudum etenim, post obtentam de rebellibus nostris et Imperii permiserabilem et innumerabilem fere stragem, ipsorumque in campestri disceptatione uictoriam et potentiam nostram, per subiugationem et inexpugnabilium ciuitatum, quae ad nos, belli discrimine desperatae, infra murorum ambitus et munimenta locorum septa concluderent, quamprimum in exitu primi ueris nobis temporisabilitas se ingressit, quo poterant montes ex repercussione solis ad clipeos aureos refulgere, uictricium aquilarum signis explicitis, tecta domorum nostrarum potenter exiimus. 4. Castra nostra, quae licet undique copiosae militiae munierat copia nostrorum, uerumptamen Apulorum, uelut aurum intextum sericis speciosa iuuentus et florida deaurauit, in nostrorum rebellium reliqua depopulatione defiximus; duas de nostris rebellibus fortes et fortissimas ciuitates, Brixiam uidelicet et Alexandriam, eodem tempore diuisis nostrorum exercituum copiis, sic instanter obsedimus, sic in totum deuastauimus e uicino, ut ab obsidentium castris ad muros quindenarius pubes et octogenarius senex frequenter inermes proicere lapidem periculosum non crederent et difficile non putarent. 5. Ad exterminium quorum idcirco tam cito castra nostrarum uirium in campis eduximus, ut pubescentem ipsorum

segetem et lacrimosos turgescentium uitium palmites deuastationis gladius, nullam temporis angustiam metuens, licentius deuastaret, ut ex licenti nostrorum hostium uastitate, tantum nobis de reliquo tempore laxaretur, mutuatis ad reditum ex autumpno diebus aliquibus uel subtractione probabili defalcatis, quod ad delectabilem moram nostram uobiscum totam presentem estatem et integram haberemus. 6. Oblectante nos tamen nostrorum continua depopulatione rebellium et negotiorum superuenientium sollicitudine semper succedente negotiis, sic de die in diem uiscosa Liguria nos terra detinuit, ut non tantum nobis esset de tempore reliquum, quo et in Regnum imperiali Dieta procedere et ibidem desiderata mora persistere et ad depopulandas rebellium nostrorum reliquias tempore debito redire possemus. 7. Longum etenim absentiae nostrae tempus, quod uobis longissimum creditur, saltem presentiam longi temporis exigit, ut dampna compendiis repensentur. 8. Sed nec utile nobis erat tam grande negotium imperfectum dimittere, quod fere iam ad desiderabilem exitum indefessus nostrae celsitudinis labor et, calcatis iam hostibus, instantia cotidiana gloriose deduxerat, nec imperfecta consummatione deferre, sed personam nostram salubrius uidimus presentibus exponere tediis, ut licentius uobiscum in posterum et honorificentius quiescamus. 9. Indubitabiliter etenim credimus, immo scimus, quod etsi personae nostrae presentiam ex fide diligitis, tamen erga nos zelum deuotionis habetis; habentes tamen zelum secundum scientiam ac coronae nostrae potissime desideratis honorem, pro quo nec personarum uestrarum periculis, nec rerum dispendiis hactenus pepercistis. 10. Verum quantumcumque in oculis

mentis nostrae sint semper presentia uestra grauamina et illa potissime, quae pro presenti expeditione nostra Ytaliae libentissime portauistis, illud tamen, quod pro ista ultima subuentione uestra passos uos fore cognouimus, ad compassionem nostram tanto peruenit acutius, quanto uos illud sustinuisse libentius et prorsus inordinatius contemplamur, dum contra serenitatis nostrae mandatum, quo facultates et merita singulorum equa lance mandauimus trutinari, alleuiatis diuitibus, grauati sunt pauperes, et obmissis primatibus instanter, compulsi ad talliam sunt plebei, quos per officiales nostros ipsarum partium mandauimus nostro culmini presentari. 11. Compatimur uobis, et uere compatimur, o fideles!, propter quod nota grauamina uel nostra uos sustinuisse non tedeat. Sed ad presentem subuentionem nostram, ex qua, faciente magnificentia Regis regum, consummationem negotiorum nostrorum merito prestolamur, uestra deuotio leta consurgat, in hoc perseuerantiae uestrae signum potissime pretendentes, quod sic ad petitum et presens subsidium hylares assurgatis, ut quasi pro nobis preteritorum immemores, ipsorum nobis in totum memoriam relinquantis.